UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto Clemente presbytero [et] confessore. Cap[itulum]. xxviij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

cherrimam barbaram intromiſit: ne ab hominibus videretur. Cumq; plurimi eam in coniugium peterent: illa iam animo chriſtiana diuinitus inſpirata: cõſenſum denegabat. Et dum pater in balneo quod edificabatur in turri iuſſiſſet artificibus duas fieri feneſtras: eo diſcedente barbara tertiam erigi fecit. Et deſcendens in balneum depingenſq; digito in marmore crucis ſignum: mox in petra ſignum crucis apparuit ac ſi ferro ſculptum eſſet. Similiter ⁊ in ſilice veſtigia pedũ illius impreſſa ſunt. Et deſcendens puella in cõcam inundantibus aquis: orauit vt ſanctificaretur aqua: ⁊ ſubmergens corpus ſeipſam baptizauit in nomine patris et filij et ſpiritus ſancti. Egreſſa igitur de aqua turrem conſcendens in idolorum facies conſpuit: ⁊ reſpiciens in celum deum verum adorauit. ¶ Rediens ergo pater ⁊ eam interrogãs cur tres feneſtras in balneo fieri iuſſerat: audiuit ab ea: quia tres ſunt qui mundũ illuminant: pater et filius ⁊ ſpiritus ſanctus. Quod audiens pater arrepto gladio eam inſequitur vt occideret illam: que dum fugeret ⁊ a montis crepidine precluſa artaretur orauit ad dominum: ⁊ ſciſſo lapide mons per medium diuiſus virginem ſuſcepit: ⁊ ad aliam partem eiecit. Quo dum pater aſcendens duos paſtores greges paſcentes interrogaſſet an puellam fugientem vidiſſent: vnus eorum cum iuramento negauit eam ſaluare cupiens: alter vero ipſam digito oſtendit eam occidi volens. Moxq; ipſe cũ pecoribus ſuis in lapides conuerſi ſunt vſq; in preſens ibi manentes. Quam pater apprehenſam ⁊ per capillos tractam: ⁊ duriſſime ceſam: martiano preſidi die ſequenti tradidit puniendam. Et dum chriſtum confiteretur ⁊ idola gẽtium demonia eſſe conteſtaretur: iuſſit eam preſes ſpoliatam ſuſpẽdi ⁊ crudis neruis cedi ac cilicinis ſaccis plagas eius extergi: deinde carceri immiſſam pedibus in ligno cõſtringi: vbi domino ſibi noctu apparente confortatur: ipſiuſq; vulnera conſolidantur. Quod dum die ſequenti preſes deorum pietati aſcriberet: ⁊ virgo eius inſaniam derideret iuſſit eũ verſis pedibus ſuſpendi: et latera eius vnguibus radi atq; ardentes lampades applicari. Inſuper ⁊ caput malleis contũdi donec de naribus ipſius ſanguis abũde ſtillaret in terram. Deinde mãmillis fecit precidi ipſamq; nudam per ciuitatem circunduci. Dum autem ſic ducta oraſſet ad dominum angelus ſibi apparens denudatum corpus eius candida ſtola contexit ⁊ mammillis reſtitutis plagas omnes ſanauit: quod dum preſes cerneret furore nimio repletus eã decollari mandauit. Quam pater ad montem vbi eam comprehenderat adducẽs caput eiuſdem manibus proprijs amputauit. Moxq; ab igne celeſti conſumptus eſt. Corpus autem virginis a valentiano quodam chriſtiano nicomedie ſepultum eſt: die ſecundo nonas decẽbris. Indeq; tẽporis proceſſu cõſtãtinopolim trãſlatum poſtmodum a venetis quibuſdam nobilibus venetias delatum: requieſcere dicitur in eccleſia ſancte marie cruciferorum.

¶ De ſancto Meletio epõ ponti. Cap. xxvi.

Meletius epiſcopus ⁊ cõfeſſor apud pontum floruit. Qui cum eſſet eruditionum cura magnificus virtus: tamen animi ⁊ vite ſinceritas longe in eo magnificentior extitit: vt dicit in martylogio vſuardi: qui etiam poſt laudabilẽ vitam ibidem in pace quieuit pridie nonas decembris.

¶ De ſctõ Meletio epõ antiocheñ. Cap. xxvii.

Meleti⁹ epiſcop⁹ antiochenus: vt ſcribit theodoricus in hiſtoria tripartita tẽpore conſtantij imperatoris arriani claruit. Hic dum ciuitatem quãdã armenie regeret ⁊ barbaros doceret ꝓpter ſui eloquij venuſtatẽ ab arrianis ⁊ catholicis pariter antiochie epiſcop⁹ poſtulat. Quẽ imperator conſtantius videre volens ⁊ probare vtrum eſſet arrianus an catholicus iuſſit vt exponeret. Dominus poſſedit me ⁊c. quod ille exponẽs trinitatẽ publice docuit ⁊ aptiſſimis rationibus comprobauit: propter quod ab arrianis eiectus ⁊ a conſtantio reprobatus: ⁊ ab eccleſia ſua expulſus reuerſus armeniam euſebio epiſcopo adheſit: ⁊ clarus miraculis vita ⁊ ſcientia in pace quieuit.

¶ De ſancto Clemente preſbytero ⁊ confeſſore. Cap. xxviii.

Clemẽs preſbyter alexandrinus qui vt dicit ado in diuinarũ eruditionũ ſcholis ꝙ maxĩe floruit: pãthei auditor: origẽis vero preceptor fuit. Hic libros octo edidit ſtromatũ: qđ ſonat opus varie contextũ. Compoſuit ⁊ libros octo quos informationũ: vel diſpoſitionũ nominare poſſum⁹. Itẽ libros ad gẽtiles exhortationum. Itẽ librũ q̃ dr pedagogus libris trib⁹ diſtinctũ. Itẽ librũ qui ſcribit: quis eſt q̃ ſaluus fieri poſſit diues. Itẽ librũ aliũ de paſcha ⁊ de diſputatiõe ⁊ de ieiunio ⁊ obtrectatiõe. Item aliũ exhortatoriũ ad patiẽtiã. Item ad neophitos. Itẽ aliũ q̃ inſcribit canõ eccl'iaſtic⁹. Itẽ de his q̃ iudaicũ ſenſum requirũt: quẽ ad alexãdrum hieroſolymorum epiſcopũ ſcripſit. Item librum contra hereſes. Extat ⁊ eius tã diuinarũ ſcripturarũ ꝙ litterature ſecularis volumina eruditionis ⁊ eloquẽtie referta: in geneſim etiã cõmẽtarios ſcribere pollicit⁹ eſt. Hec hierony. de viris illuſtribus. Quieuit in pace die. ij. noñ. decẽbris, Seueri imperatoris tempore florens.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN